



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Decretvm XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

genua fleti possint, neque usque eō extent,
ut supplicationibus & processionibus viam
præcludant.

DECRETVM VII.

QVæ Processiones ut in cœmeteriis etiam
commode fieri possint; volumus, ut circa
illa fiat via æqualis, & tam lata ut trium
personarum simul sit capax; ipsa vero cœmē-
teria sic undique sint munita, ne bestiis detur
incurrus, in iisque locus sit aptus, ubi defunctorum
osla reponantur, ipsa vero sepulchra Crucis imagine conspicua appareant. De
domibus vero, illic ædificatis, ferventur ac-
curate, quæ in Nostræ Synodo majore ordi-
navimus & statuimus; si vero aliquæ, hac
belli tempestate, ædificatæ fuerint, de iis
quotannis, festo S. Michaëlis, solvant Cano-
nem, quem statuent Decanus & Pastor cu-
jusque Parochiæ.

Parte 2.
cap. 15.
§. 7.

DECRETVM VIII.

INvenimus in variis Ecclesiis altaria non
pauca violata, alia verò nullo cultu ornata,
& superflua. Mandamus proinde, ut in Paro-
chialibus Ecclesiis, in quibus non est fundatio
altarium, & plurium Beneficiorum præsentia,
præter summum & duo lateralia altaria, om-
nia alia tollantur; atque, ut tempore frequenti
altaria violata consecrari possint, current in
locis celebrioribus ex solido & vivo lapide
mensam Altaris; in aliis vero minus celebri-
bus pagis petant à Nobis portatile maius con-
secratum, illudque mensæ altaris inseri fa-
ciant, & calce eidem conglutinari current.

DECRETVM IX.

CVm, Decretis Congregationis Sacro-
rum Rituum, severè prohibitum sit, ne
quis rochetto seu superpelliceo cum strictio-
ribus manicis utatur, nisi cui id de jure aut fa-
vore Sedis Apostolicæ permisum; interea ve-
ro, non tantum Pastores aliquos, sed ipsos et-
iam æditios & ludimagiſtros, eisdem uti,
animadverterimus; mandamus, ut omnes &
singuli, ejusmodi rochetta seu superpellicea
deponant; & omnes, in functionibus Ecclesias-
ticis, utantur tantum togâ talari, pileo quadra-
to, stola, & superpelliceo cum laxioribus
manicis, ad formam Romanam confecto.

DECRETVM X.

ATque, ut non cærimoniarum tantum,
sed doctrinæ etiam unitas in omnibus ap-
pareat; volumus, ut omnes observent eundem
modum concionandi & catechizandi, quem
in Nostrâ Agendâ prescribemus. Et, ut rudis
populus discat fidei principia, ante concio-
nem clara voce orabunt singuli Pastores Ger-

manice Orationem Dominicam & Salutatio-
nem Angelicam; post concionem vero, præter
priora hæc, Symbolum fidei, Præcepta Dei
& Ecclesiæ, & veneranda novæ legis Sacra-
menta, pronuntiabunt, & pro omni statu, ma-
xime vero Christianis Principibus, consuetam
orationem, & publicam confessionem, recita-
bunt. Si quæ vero proclamanda, hæc non an-
te sed post concionem, ut ab omnibus audiri
& percipi possint, promulgentur.

DECRETVM XI.

NE suis defunctis honor debitus & justa
funebria negligantur, sanctaque & salu-
bris pro defunctis exorandi cogitatio & con-
suetudo pereat; iterum mandamus, ut in
posterum adulorum Catholicorum funera,
(quantum fieri potest) matutino tempore ad
templa deferantur, & peracto sacrificio, ter-
ræ mandentur; populusque de Anniversariis
& memorii moneatur.

DECRETVM XII.

CVm ipsa veneranda novæ legis Sacra-
menta pignora fint salutis, & fontes di-
vinarum gratiarum; ea, maxima sollicitudine,
suscipere, & non minore curâ administrare
oportet. Eorum verò fons &, ad reliqua, ja-
nua cum sit Baptismus; volumus, ut maxima
attentione, & necessaria intentione, admini-
stretur. Cum vero non raro infantes ad Bapti-
smum deferantur, scabie capitis laborares;
ne totum fontem baptismalem, ex scabioso
capite defluens aqua, forsan inficiat, semper
hæc pelvi excipiatur, & effundatur in picci-
nam lacram (ut vocant,) proxime Baptiste-
rium conseruandam.

DECRETVM XIII.

NUNquam vero solemnis Baptismus extra
Ecclesiam conferatur. In necessitate ve-
ro à Pastoriis baptizati, deferantur postmo-
dum ad Ecclesiam, si supervivant; & cærimo-
niæ suppleantur; serveturque in nominibus, ut
ea sint Sanctorum; & quæ de Patrinis Syno-
do majori præcepta sunt.

Parte I.
cap. 13.

DECRETVM XIV.

ACCURATE observent Pastores singuli, quæ
circa Baptismum, ab obstetricibus aliis
collatum, Synodo majore monuimus & ordi-
navimus; diligentem vero curam adhibeant
obstetricum, ut eæ bene doceantur modum &
intentionem, ad Baptismum requiritam. eum-
que in finem, quantum fieri potest, in singulis,
non tantum Parochiis, sed etiam Pagis five
Burschopiis, certæ fint constitutæ, boni nomi-
nis, catholicæ, & juramento, coram Pastore
edito, ad fidelitatem obstetricæ, & juramen-
tum Catholicæ fidei emittant.

D E -